

STATES, PRINCIPATUS, DOMINATIONES, THRONOS, CHERUBIM atque SERAPHIM. V. PETAV. de Ang. L. 2. c. 1.

20. *Dico III.* Hi novem angelorum Ordines distribuuntur in tres Hierarchias.

*Prob.* Ex mirabili consensu Patrum et Theologorum, post S. DIONYS. L. de coel. Hier. c. 8. §. 2. Prima et suprema Hierarchia continet CHERUBIM, SERAPHIM et THRONOS: Secunda DOMINATIONES, PRINCIPATUS et POTESTATES: Tertia, VIRTUTES, ARCHANGELOS et ANGELOS. SS. Patres si quando quatuor tantum ordines recensent, reliquos non excludunt, et alibi referunt. Dum Can. *Hi duo*, D. 1. de Consec. decimum angelorum ordinem per superbiam corruisse memorat; sensus est, tantum fuisse lapsorum numerum, ut potuisset decimum ordinem constituere; qui decimus ordo dicitur ex hominibus reparari: *Glossæ* autem, quæ ait: *Nomen decimi ordinis non habemus*; respondet alia *Glossa* his verbis: *Nec habere possumus, cum non fuerint, nisi novem*. V. PETAV. L. 2. c. 3.

21. *Dico IV.* Angeli aliqua ratione inter se discrepant.

*Prob.* Diversis Hierarchiis, quin et angelis diversorum ordinum conveniunt diversæ proprietates tum ratione diversarum perfectionum intrinsecarum, gratiarum et charismatum: tum ratione ministeriorum, dignitatum et officiorum, prout diversa illorum nomina indicant; ergo inter se differunt: quæ ratione, an omnes specie, an omnes numero tantum, an partim specie, partim numero: nec exploratum est, nec scire admodum necessarium; ita sentit S. AUG., qui L. ad Oros. contra Priscillian. c. 11. ait: *Esse itaque SEDES, DOMINATIONES, PRINCIPATUS, POTESTATES in caelestibus apparatibus, firmissime credo, et differre inter se aliquid, indubitata fide teneo; sed... quenam ista sint, et quid inter se differant, nescio; nec ea sane ignorantia periclitari me puto*. V. PETAV. L. 1. c. 14. n. 1. et seqq.

22. *Observa.* SS. GREG. hom. 34. in Evang. n. 8. 9. 10. et BERN. de Consid. L. 5. c. 4. n. 8. diversas angelorum perfectiones ac functiones ita exponunt; SERAPHIM Deo maxime conjuncti summa ardent charitate, quam in alios transfundunt: CHERUBIM mira pollent scientia, qua et cæteros illuminant: THRONI speciales sunt inhabitantis Dei Sedes, unde pax et securitas, quam et aliis communicant: DOMINATIONES mira in res creatas potentia eminent: POTESTATES peculiari gaudent auctoritate in dæmones: PRINCIPATUS Omnipotentis majestatem ac dignitatem referunt: VIRTUTES in recipiendis Dei illuminationibus maxime sunt constantes: ARCHANGELI sublimium Dei arcanorum præ alijs conscii et nuntii sunt: ANGELI minima nuntiant. Præterea in dæmonibus etiam permansit quedam subordinatio: nam Matth. 9. 34. dicitur de Principe dæmoniorum, et Luc. 11. 18. ait CHRISTUS: *Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus?*

## CAPUT II.

## DE POTENTIS ANGELORUM.

## ARTICULUS I.

## DE POTENTIS AD ACTUS INTERNOS.

## § I.

*Quenam angeli naturaliter cognoscant?*

23. *Nota.* Angelos pollere *virtute intellectiva*, indubium est ex Scriptura, quæ illis Psal. 96., Matth. 8., Psal. 90., Zach. 1., 2. Petr. 2. operationes tribuit, soli naturæ intelligenti proprias. Et vel ipsi gentiles Philosophi idcirco angelos per antonomasiam vocarunt *Intelligentias*. Quenam objecta, ac potissimum an secreta cordium angeli naturaliter cognoscant, hic quæritur. Sub arcano cordium, id est, voluntatis angelicæ et humanæ, non tantum intelliguntur ipsa decreta voluntatis, sed et judicia eorum directiva, consilia, deliberationes, dictamina practica, et omnes actus intellectus ita cum illis connexi, ut hi non possint cognosci, quin illa etiam cognoscantur: qualia sunt actus reflexi, species intentionales ex illis acquisitæ, et habitus relictæ; et de his procedit quæstio, utrum angeli naturaliter certo et evidenter ea cognoscant sine manifestatione naturæ rationalis; de modo cognoscendi angelico, plus philosophica, et minus utilis videtur disquisitio esse.

24. *Dico I.* Angeli naturaliter cognoscunt Deum abstractivè.

*Prob.* Cognitio *quidditativa* Dei representat clarè quidditatem Dei, ac proin magnum post se amorem ac gaudium trahens, angelum valde beatum faceret naturaliter: sed hæc non potest esse connaturalis angelis, alias permanens etiam in diabolis, in quibus omnia naturalia sunt integræ, beatitudo tamen nulla; ergo angeli naturaliter non cognoscunt quidditative Deum, sed, sicut homo ex creaturis, *abstractivè*. Neque ut Trinum cognoscunt Deum naturaliter: nam creaturæ non pendent essentialiter a Personis divinis, ut in proprietatibus distinguuntur, sed ut in essentia unum sunt.

25. *Dico II.* Angeli seipsos, alios angelos, ac substantias omnes ordinis naturalis quomodolibet præsentis cognoscunt quidditative.

*Prob.* Omnia hæc objecta sunt per se et naturaliter intelligibilia, angelico intellectui proportionata, eique sufficienter applicata vel per se, vel per species; species autem objecti vicariæ sunt superflue, ubi ipsum objectum præsens est, ac proportionatum; ergo ea omnia quidditative cognoscunt. My-

steria autem fidei et dona supernaturalia, nec ut jam existentia, nec ut futura, determinate ac certo cognoscunt angeli, quia simpliciter excedunt omnes vires totius naturæ creatæ; insuper etiam futura dependent a libera Dei voluntate. Aliud est de supernaturalibus duntaxat quoad modum et actu jam positus, ob diversitatem rationis.

26. *Dico III.* Angeli naturaliter cognoscunt Futura necessaria, non item Futura libere contingentia.

*Prob. 1<sup>a</sup>. p.* Angeli naturaliter cognoscunt omnes causas naturales: atqui hæc jam existentes et sufficienter applicatæ sunt medium sufficiens cognoscendi earum effectus necessarios; ergo futura a causis naturalibus semper eodem modo se habentibus dependentia, v. g. ortum, occasum, eclipsin solis, physice, non tamen absolute certo cognoscunt: cum Deus ordinem naturæ absolute turbare possit. Futura vero alia à causis naturalibus stabilem adeo legem non habentibus dependentia v. g. tempestates, pestem etc. nequidem certo, sed probabiliter tantum præsciunt naturaliter.

*Prob. 2<sup>a</sup>. p.* Angeli non possunt Futura libera præscire in suis causis, quæ sunt indifferentes: non in se ipsis, quia nondum existunt: nec in decretis Dei, quæ soli Deo patent, et indifferenter applicantur; ergo.

*Conf. S. HIL. L. 9. n. 61. de Trin. inquit: Proprium Deo quid aliud, quam futurorum cognitio est? TERTULL. Apol. c. 20. Idoneum, opinor, testimonium divinitatis, veritas divinationis; hinc Isa. 46. 9. et 10. dicitur: Ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei, annuntians ab exordio novissimum, et ab initio, quæ necdum facta sunt; et Isa. 41. 23. annuntiate, quæ ventura sint in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos; ergo soli Deo competit certa cognitio libere et contingenter futurorum.*

27. *Dico IV.* Angeli non cognoscunt naturaliter certo Secreta cordium.

*Prob. 2. Paralip. 6. 30. dicitur: Tu solus nosti corda filiorum hominum. 1. Reg. 16. 7. Homo videt ea, quæ parent; Deus autem intuetur cor: Ps. 43. 22. Ipse novit abscondita cordis. Jerem. 17. 9. et 10. Præcavum est cor omnium, et inscrutabile, quis cognoscat illud? Ego Dominus scrutans cor et probans renes; in quem locum S. HIER. scribit: Nullus cognitionum secreta cognoscit, nisi solus Deus. 1. Cor. 2. 11. Quæ sunt hominis, nemo novit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est; in quem locum D. THOMAS addit: Nec angelus bonus, nec malus, ea, quæ in corde hominis latent, scire potest. Idem sentiunt alii SS. Patres, qui, uti ipsa etiam Scriptura, divinitatem Christi inde probant, quod secreta cordium cognoverit. V. PÉTAVIUM L. 1. c. 7. n. 2. seqq.*

*Conf. 1. Negative, quia gratis asseritur angelis tanta intellectivitas et scientia etiam secretorum, præsertim ubi auctoritas repugnat. 2. Positive, quia naturæ intellectuali connaturaliter debetur dominium in suos actus liberos perfectum et expeditum ab omni impedimento tum physico, tum morali, ut suadet paritas in utroque: tale autem non foret, si ejusmodi actus absque elicentis consensu aliis ita paterent, ut occultari non possent; ergo.*

28. *Obj. I. cont. IV.* Juxta S. GREG. in beatitudine resurgentium unus homo erit perspicibilis alteri, sicut ipse sibi; ergo idem de angelis dici poterit.

R. D. A. Idque, quia unus alteri se manifestat C. Secus N. Quippe in patria corpus erit perspicuum et lucidum, et animi perpetuo charitatis vinculo conjuncti ultro sua secreta invicem pandent.

*Inst. 1. S. BASIL. L. de Virgin. n. 29. hortatur puellas, ut angelorum præsentiam reverentur, eo quod ii percipiant quidquid virgo cogitat; ergo.*

R. D. A. Si affectus internus signis, corporeisque impressionibus foras erumpat C. Si non erumpat, neque a Deo iis manifestetur N. S. Pater pie sancteque loquitur, sed pro more hortatoriæ orationis.

*Inst. 2. Dæmones in Energumenis produnt cogitationes aliorum; ergo illas cognoscunt.*

R. D. A. Produnt vel per conjecturam tantum longa experientia firmatam, uti prædicunt etiam nonnunquam futura; vel quia signis externis manifestantur; vel quia alii volunt suos actus cognosci; vel quia Deus ob bonum finem suæ providentiæ permittit, ut cognoscant; vel denique ex phantasmatibus, quæ ipsi sæpe excitant, et deinde revelant C. Secus N.

*Inst. 3. Diabolus introit in cor hominis, Joan. 13. 2. Cum diabolus jam misisset in cor ejus, et Act. 5. 3. Anania! cur tentavit Satanas cor tuum? ergo scrutatur secretas cogitationes ibi latentes.*

R. D. A. Introit in cor hominis suggestionem C. Perceptionem alienarum cogitationum N. ita S. AUG. Tr. 53. in Joann. n. 4.

29. *Obj. II.* Secreta cordium sunt actus ordinis naturalis, et intellectui angelico proportionati; ergo ab altero angelo naturaliter cognosci possunt.

R. 1<sup>o</sup>. D. A. Sunt ordinis naturalis, ita tamen, ut subestent dominio et juri secreti C. Quomodocumque N.

R. 2<sup>o</sup>. D. C. Ergo ab altero angelo naturaliter cognosci possunt facta manifestatione C. Ea non facta N. Causa, cur secreta naturaliter cognosci nequeant, proxime habetur a negato Dei concursu, sic exigente creatura intellectuali et ejus recta gubernatione, ut ad istorum actuum cognitionem suum Deus concursum non exhibeat: remote a jure, quod agenti libero competit in actus suos, exigendo ne actus liberi absque proprio consensu ab alio, præterquam a Deo, cognoscantur.

*Inst. 1. Actus interni angelorum possunt cognosci, iis consentientibus; ergo etiam ante consensum, quia consensus naturam actus non mutat.*

R. D. C. Ergo etiam ante consensum cognosci possunt remote C. Proxime N. Ad potentiam enim proximam requiritur alterius consensus tanquam conditio.

*Inst. 2. Consensus ipse manifestanti est æque actus liber, ac alius qui fuerat occultus; ergo si ille, etiam hic potest cognosci.*

R. N. C. Consensus ille revelandi exercite per seipsum, est quasi donatio et communicatio sui quoad cognitionem respectu alterius, quod aliis actibus nequaquam convenit; quod autem voluntas claudat et aperiat mentis secreta, illustrari potest per actus aliarum potentiarum, quæ, nonnisi per applicationem voluntatis vel appetitus, suis possunt e potentis egredi.

*Inst. 3. Homo non habet ejusmodi dominium in sua phantasmata; ergo nec in actus intellectus et voluntatis.*

R. T. A. N. C. Quia dominium illud debetur homini ut creature rationali: phantasmata autem illa non sunt operationes hominis ut creature rationalis;

ergo. Dixi *Trans.* si enim sint phantasmata ejusmodi, ex quibus potest deveniri in cognitionem secretorum, falsum est antecedens.

*Inst. 4.* Angelus superior potest cognoscere hominem, et angelum inferiorem *comprehensive*; ergo eum cognoscit intensive et extensive quoad omnes effectus naturales.

*R. D. A. et C.* Cognoscit *comprehensive* et quoad omnes effectus etiam dominio secreti subjectos *N.* Quoad alios actus *Tr.* Nam *comprehensio* proprie dicta, qua distincte cognoscuntur omnia prædicata rei, omnesque termini naturales ac obedientiales tam in specie, quam in individuo, soli Deo competit.

*Inst. 5.* Angelus hominem cognoscit perfectius, quam homo seipsum; ergo si homo sua secreta cognoscit, magis angelus cognoscet.

*R. D. A.* Perfectius cognoscit quoad esse substantiale et accidentale physicum *C.* Quoad esse morale et liberum hominis *N.* Equidem primum cognoscit angelus intuitive, homo tantum abstractivè: at secundum homo cognoscit certo et experimentaliter, angelus tantum arguitivè, aut ad summum probabiliter.

*Inst. 6.* Homines sagaciores aliorum sæpe cogitata introspiciunt; ergo potiori jure angeli.

*R. D. A.* Aliorum cogitata, quæ exterioribus indiciis, vultu, oculis, fronte, nutibusque se produnt *C.* Quæ nullo se signo produnt *N. S. Acc.* per illa verba *L. 2. Retract. c. 30. Rem dixi occultissimam audaciorè asseverantia quam debui,* non dubitat quod angeli cognoscant secreta cordium signo quodam manifestata: sed dubitat an ea percipiant sensibili, an spiritali virtute, siquidem dubium sit an possint angeli corporea sensatione sentire ad instar hominum, et si habeant corpora non sibi unita substantialiter, sed tantum assumpta.

*Inst. 7.* Constat ex historiis, quod dæmones vel per se, vel per homines a se edoctos, vel per gentilium oracula multa libere futura prædixerint; ergo non minus arcana cordium scire possunt.

*R. D. A.* Prædixerint multa naturali suo lumine cognita certo et infallibiliter *N.* Multa vel a Deo, vel aliis signis manifestata, vel quæ ipsi facturi erant, vel certe fallibiliter, uti et prædictiones idolorum pleræque erant amphibologicæ *C.* Atque ita etiam possunt angeli ex dispositionibus corporum, passionum motibus, occasionibus aliisque circumstantiis seu conjecturaliter prævidere, ad quid agens liberum se sit determinaturum. Ipsi adeo Ethnici oraculorum vanitatem agnoverunt, inter quos *Porphyrus* rei apprimè consultus librum scripsit de *Philosophia* ex oraculis petita.

## § II.

### Quæ sit Voluntas ac Libertas angelorum.

30. *Nota.* In angelis esse voluntatem, consequitur ex virtute eorum intellectiva, et manifestum redditur ex Scriptura, in qua angelis tribuuntur actus voluntatis. Quæritur autem 1°. An hæc voluntas sit vere libera? 2°. Etiam in primo creationis instanti ad peccandum? 3°. An sit *in suis decretis*, id quod *Thomistæ* docent, omnino immutabilis, ac inflexibilis?

31. *Dico I.* Voluntas angelorum est libera.

*Prob.* Angeli sunt capaces *justitiæ, meriti, præcepti et peccati*; ergo in iis datur liberum arbitrium ad merendum et demerendum necessarium: ita SS. Patres et Theologi unanimiter.

*Conf.* Angeli sunt præditi perfecta ratione seu intelligentia; ergo et libertate arbitrii, quæ illam sequitur, uti patet in Deo et homine; atque ita arguit S. JOAN. DAMASC. *L. 2. de fid. c. 3.*

32. *Dico II.* Libera etiam fuit ad peccandum in primo creationis instanti.

*Prob.* Voluntas angelorum in primo instanti habuit omnia requisita ad agendum libere, scilicet objectum præsens et cognitionem indifferenter proponentem objectum cum facultate eligendi alterutram partem; ergo potuit eo instanti libere agere, cum ad libere agendum non requiratur cognitio tempore prior, sed sufficiat prioritas rationis, vel naturæ seu dependentiæ: nec requiritur deliberatio aut inquisitio, ubi objectum clare apparet.

*Conf. 1.* Ex *D. TH.* angeli peccare potuerunt in sequentibus instantibus, ut eventus docuit; ergo etiam in primo: non enim minus in primo ac in sequentibus instantibus habuerunt libertatem de se labilem in malum, neque aliunde necessitatam ad non peccandum.

*Conf. 2.* Angelus in primo instanti fuit liber ad merendum, cum de facto meruerit; ergo etiam ad demerendum, cum par sit utriusque ratio, nec solidum fundamentum id negandi.

*Si ais 1°.* Peccatum angeli in primo instanti imputaretur Deo, ceu auctori naturæ angelicæ. 2°. Actum secundum malum debet præcedere actus primus malus. 3°. Primum instans creationis angeli est instans gratiæ, non ergo peccati.

*R.* Negando singula: nam 1°. operatio prima tribuitur auctori in necessariis, non item in liberis: alioquin angelus non potuisset mereri in primo instanti suæ existentie. 2°. Ad actum peccati non aliud supponitur necessario, quam potentia indifferentiæ ad bene vel male operandum cum sufficiente objecti cognitione: et angelus in actu existentie libertatis constitutus, habitis omnibus requisitis, sine alio actu formaliter ipsamet sua volitione se movet ad volendum. 3°. Primum instans fuit quidem instans gratiæ naturalis, quatenus angelum Deus produxit libere, non vero supernaturalis; hanc quippe sibi, attenta præcise natura, haud debitam, accepit dependenter a merito et libera dispositione; si ergo meriti fuit, cur non et demeriti esse potuit primum illud instans?

33. *Dico III.* Voluntas angelorum non est, facta semel electione, absolute et physice inflexibilis ac immutabilis.

*Prob.* Ex Patribus: JOAN. DAMASC. *L. 2. de fid. c. 3.* ait: Angeli boni sunt natura ita comparati, ut ad malum ægre moveri, non tamen omnino non moveri possint: nunc vero ea jam conditione, ut ne vix quidem moveri atque inflecti queant. Quod tamen non eorum naturæ, sed gratiæ, eique, qua Deo unice bono adherent, constantiæ tribuendum est. S. ISIDOR. *Sent. L. 1. c. 10. n. 2.* inquit: Gratia dicimus, non natura esse immutabiles angelos: nam si natura incommutabiles essent, diabolus utique non cecidisset.

*Conf.* Ex Ratione. Angeli mali, aliquamdiu boni, reipsa mutarunt suam voluntatem; ergo angeli non sunt ex *conditione naturæ suæ* immutabiles.

*Si ais 1º.* Certum est angelos bonos esse confirmatos in bono, et malos obstinatos in malo; ergo sunt absolute immutabiles.

R. N. C. Hæc enim immutabilitas non est physica, ex ipsa naturæ conditione orta: sed habetur a *ratione status* vel beatitudinis, vel damnationis; et in bonis quidem illa oritur ex efficacia luminis gloriæ, et invincibili attractione objecti beatifici: in malis autem ex consummata malitia vi tormentorum, et desperatione concepta ob æternam suam damnationem, atque ex defectu et subtractione gratiæ divini: utrumque docent SS. Patres.

*Si ais 2º.* S. THOMAS et *Thomistæ* omnes hic adversantur: nam docent primo quod arbitrium hominis flexile sit ad oppositum ante et post electionem, angeli autem ad utrumque oppositum ante, non post electionem. Secundo quod angelus per intellectum apprehendat immobiliter, homo per rationem mobiliter: ac proin voluntas etiam hominis adhæreat mobiliter, angeli vero fixe et immobiliter, cum vis appetitiva in omnibus proportionetur apprehensivæ, a qua movetur.

R. Ad 1<sup>um</sup>. D. A. Angeli arbitrium post electionem non est flexile comparative ad homines C. Absolute N. Nempe, ut GREG. NAZ. Orat. 38. n. 9. ait: *Ut angelos non omnino immobiles, sed ægre mobiles existimem ac dicam, mihi persuadet Lucifer etc.*

R. Ad 2<sup>um</sup>. D. A. Vis appetitiva, id est, instinctus naturalis proportionatur apprehensivæ C. Vis appetitiva, hoc est, liberum arbitrium *subd.* Proportionatur universaliter in sensu absoluto N. In sensu accommodo, et secundum proprium tendendi modum C. Voluntas ceu potentia libera ex natura sua tendit in objectum cum indifferentia actus ad oppositum, in quo differt ab intellectu ceu potentia ad unum determinata. Ad hæc angelus apprehendit quidem immobiliter res evidentes, et eas, quæ essentiam ac proprietates rerum naturalium spectant, non item res contingentes et eligibiles: Sic dæmon primo judicavit passionem Christi procurandam, impellendo Judam ad proditionem, dein vero impediendam, cum laboravit Pilatum per uxorem a condemnatione deterrere.

## ARTICULUS II.

### DE POTENTIA ANGELORUM AD ACTUS EXTERNOS.

#### §. I.

*An Potentiam motricem habeant Angeli?*

34. *Nota.* Potentia motrix dicitur vis illa, qua angelus se, vel alias substantias de loco ad locum transfert. Quidam ex Recentioribus Philosophis ausi sunt nuper definire angelum, quod sit *substantia tantum cogitans, quæ nihil cum motu commune habet*; nimirum ut ad denegandam angelis omnem in corpora potestatem commedius sese accingant. Verum hæc angeli descriptio quantum a sana Theologia abhorreat, hoc loco demonstrandum. Alii non quidem omnem movendi ac operandi vim denegant angelis, ita tamen debilem, humana plane inferiorem, nec superiori

naturæ sat congruentem attribuunt, ut vel cum *Tartarotio* dicant, quod fluida duntaxat movere angelus possit, non item solida: vel cum *Scipione Maffeo*, quod angelus ciere quidem possit præstigias et sensuum illusiones, non autem efficere quidpiam insolitum et quod mereatur admirationem.

Porro angelum esse *in loco*, certum est, tum quia substantia existens non potest nullibi, sed debet alicubi existere; tum quia in Scriptura vel cælum, vel infernus, vel terra, locus angelorum assignatur; neque controversum est admodum, locum angeli esse finitum et limitatum, quamvis illius peripheriam describere nemo ausit. Denique ex philosophia constat, angelum non existere in loco *circumscriptive*, sed *definitive*; atque inde etiam desumi debet, per quid formaliter dicatur esse in loco.

35. *Dico I.* Angeli possunt se ipsos movere motu locali.

*Prob.* Ex Gen. 28. 12. Tob. 5. 8. Luc. 4. 28. Matth. 8. 32. etc. constat, angelos *accedere, recedere, ascendere, descendere, intrare, ambulare*: atqui hæc motum localem probant; ergo.

*Conf.* Potentiam motricem in angelo ipsum nomen loquitur, quod nuntium non sane immobilem significat: hoc figura, quamvis analogica, refert, quæ sub alarum schemate pernicitatem adumbrat: hoc officium declarat, quo tanquam administratorii spiritus perhibentur: hoc natura exigit in angelis perfectior, quam in homine et aliis entibus, vere tamen mobilibus.

36. *Dico II.* Angeli possunt movere corpora.

*Prob.* Nihil est quod hunc motum reddat angelo impossibilem; non ratio physica, cum possit angelus producere impetum; nec desunt vires; nec obstat Deus, cum extent innumera divinæ permissionis exempla, ut Dan. 14. 35. de Habacuc translato: Act. 8. 39. de Philippo a spiritu in Azotum delato: Joan. 5. 4. de aqua per angelum commota: Matth. 4. 5. de Christo assumpto in sanctam civitatem, et statuto super pinnaculum templi a diabolo: de Simone Mago in aere sublato ope dæmonis, prout testatur Hist. Eccl. etc. Unde negandum non est, nonnunquam evenire veram Sagarum translationem de loco ad locum, præsertim ad conventus nocturnos, ut communior est Theologorum et Jurisconsultorum, *Turrecremate* L. 2. Sortilegiorum q. 7. *Bassini* de Artibus Magicis prop. 9. *Remigii* L. 1. de Dæmonolatria, *Pennæ* in Directorio Inquisitionum p. 4. Attamen ultro fatemur, sæpe intervenire *illusionem dæmonis*, et Sagas sola duntaxat imaginatione translatas se putare, dum interim dormientibus vel vigilantibus ope dæmonis imagines gestorum representantur.

37. *Dico III.* Angeli possunt etiam movere spiritum.

*Prob.* Tob. 8. 3. Raphael legitur transtulisse dæmonium et ligasse: Luc. 16. 22. anima Lazari ab angelis deportata est in sinum Abrahæ: quæ postrema narratio, quamvis dicatur tantum parabolica, tamen rei gestæ veritatem aperit. Quod ad modum explicandi attinet, variant Auctores. *Thomistæ* solo imperio fieri motum dicunt: Recentiores quidam tantum occasionaliter ab angelis, et a Deo efficienter: alii verius, vel applicando mobili substantiam suam, ut illud secum deferat, aut retineat in loco, ubi